

IOANNES SEMECA IVRIS DOCTOR:



Ioannes ille eruditione & pietate apud Germanos suos in magna autoritate fuit. Itaque praepositus Halberstatensis Ecclesiæ factus est. In eo loco iura declarauit, atque uitæ innocentia conspicuus fuit. Ipse etiam Herculea audacia (ut ueterum uerbo utar) primus aggressus est Decretum glossare, quod ante eum nemo, & post eum nullus excellenter fecit. Hic etiam Clementi 4. pontifici tum per Germaniam (sicuti & per Galliam) decimas a clero in redemptionem terræ sanctæ exigenti appellationem opposuit. Videbat enim quod pontifices ea pecunia abuterentur, atque eo praetextu Germaniam exhaustirent. Itaque papa eum excommunicauit, atque prapositura Halberstensi priuauit. Sed erant tum magni viri per Germaniam, qui Ioannem nequaquam deserendum statuerat.